

riam prorsus insigne, quod sic proponit Annalium Cisterciensium scriptor Manricus ad annum eundem 1124, cap. 4, num. 1 : « Sub idem tempus archiepiscopo Remensi discordante cum populo, et neutro alteri cedere acquiescente, cum multi alii pacem procurassent, solus Bernardus in Gallia visus est qui tantum opus posset consummare : quippe potens sermone simul et opere, dum, quæ dicebat, signis confirmabat, confundebantur, non parere homines, cui creaturæ etiam irrationales, cui vel dæmones ipsi obtemperabant. Cæcus, surdus et mutus sensibus redditus atque a dæmone simul liberatus, prætulit obedientiæ palmam utrisque partibus. » Illustre hoc miraculum habetur apud Guillelmum lib. 1 Vitæ, cap. 7, num. 73, ubi lego quidem illud accidisse tum temporis, quando contigit... ad conciliandos eos, archiepiscopum nempe ac populum Remensem, adesse virum Dei; item cum in palatio ejusdem civitatis... de pace tractaretur; sed pacem tunc ex isto Bernardi miraculo, quod ibidem loci, magna cleri plebisque frequentia repleta domo..., coram omnibus indicatur accidisse, subsequatam non lego in dicto capite; sed videtur tamen vel non imprudenter supponi posse, vel credi, quod laudatus biographus implicate hoc subintelligendum reliquerit, quando contigisse... ad conciliandos eos adesse virum Dei, præmiserat; virum enim Dei tot tantisque gratiæ ac naturæ dotibus nec non summa apud homines auctoritate, miraque eorum animos flectendi facultate præditum, adfuisse ad conciliandam concordiam, quid videtur esse aliud, quam vere tunc illam ab eo conciliatam fuisse, patrato præsertim tunc temporis miraculo, de quo dicebam? Credibile etiam est multos alios pacem illam procurasse, sed irrito conatu, sicut referebat Manricus; Guillelmus tamen loco citato id non habet.

129. Ad memoratum etiam annum refert idem historicus Cisterciensis laborem ac fructum S. Bernardi, aliorumque Cisterciensium in reformanda Ecclesia Gallicana. « Cum prælati ecclesiastici, ait num. 3, per Galliam modestiæ habenas aliquatenus laxarent, ac sæculari et paululum profana conversatione apostolicam vitam minus redderent, Stephanus et Hugo, Bernardusque ac Joannes cum cæteris selectis Cistercii Patribus verbo ex exemplo cœperunt laborare, ut... ad fructuosiorum conversandi normam reducerentur... Porro quantum labore suo profecerint, Senonensis metropolis episcopi, atque ipse etiam Senonensis metropolita, quin et Sugerius, S. Dionysii abbas, totusque ejus conventus testes existunt. Eminentissimus Baronius ad annum Christi 1127, de hac re sic loquitur num. 13, editionis anni 1629. « Profecerant siquidem episcopi provinciæ Senonensis Cisterciensium monachorum exemplo, atque verbis litterisque sancti Bernardi, præcipue vero, quem diximus, Parisiensis episcopus, atque Parisiensis abbas Sancti-Dionysii Sugerius, qui monasterium illud, monastica penitus disciplina solutum, fibula regularis observantiæ

arete constrinxerat, quo nomine ipsi sanctus Bernardus congaudens, gratulatoriam ad eum dedit epistolam, « quæ est septuagesima octava, apud Mabillonium recusa col 77 et sequentibus, ubi eadem innectitur etiam anno Christi 1127. Ratio itaque temporis ista non convenit cum Manriciana. Ad initium autem epistolæ citatæ « Exiit sermo, notantur illa, nempe de ejus, id est Sugerii, conversione, haud dubie Bernardi monitis concepta sub annum 1127, tametsi monasterii S. Dionysii reformatio per Segurium anno 1123, forsitan anticipato refertur in Chronico Nangiano. »

130. De metropolita autem Senonensi hæc subdit Baronius ad annum paulo ante designatum : « Quod vero etiam et ipse metropolitani Senonensis archiepiscopus Henricus æque admonitus litteris sancti Bernardi, et quidem prolixioribus, ad meliorem frugem conversus, ea, quæ essent optimi pastoris munera, diligenter expleret; eadem ex causa ejusdem principis (Ludovici videlicet Galliarum regis) indignationem incurrit, nec quidem mediocrem, sed plane eam, cujus causa eidem S. Bernardo cum reliquis abbatibus rursus scribendum fuerit eidem Honorio papæ atque cancellario cardinali, et plane exclamandum, quod ob vitam optime institutam persecutionem paterentur episcopi, » etc. Quænam vero fuerit reformatio ista, regi Christianissimo adeo ingrata, videri ibidem potest. De episcopo Parisiensi, cujus supra incidit mentio, tractabimus cum historico Cisterciensi ad annum Christi 1127, interim cum eodem perrecturi ad annum Christi 1125, et proxime sequentem.

§ XIII. *Annona multiplicata; fugatus dæmon; mulier ad vitam revocata; pluvia depulsa; pristina valetudo, Deipara patrocinante, Sancto reddita; refutatio erroris de proximo Antichristi adventu; communicatio litterarum cum aula Romana.*

Annus Christi 1125, apud historicum Cisterciensem cap. 3, num. 1, publicum illustris ac primæ notæ miraculo theatrum aperit. « Ingravescebat, ait, fames per totam Galliam atque utramque Burgundiam; neque annonæ ex Flandria illuc adducta, quantumvis ingens, sufficiebat alendis populis : cum deficientibus hominum subsidiis horrea Clarævallis, alias tenuia, Bernardi charitas et divina potentia multiplicarunt. « Quoniam vero prodigium illud describitur a Guillelmo lib. 1 Vitæ, cap. 5, sub finem supervacaneum est, id hoc loco narrare. Nec vero paterna Sancti erga egenos misericordia concludi potuit intra domesticos parietes cœnobii Claravallensis, sed alio sese etiam diffudit; sicut patet ex epistola ad ducissam Burgundiæ, quæ est centesima vigesima prima, et habetur in editione Mabilloniana col. 127, quamque sic concludit misericors pauperum Pater : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; erogate vestrum frumentum pauperibus Christi, ut in æternum cum usura recipiatis. » Epistolam hanc sine nota anni ibidem excusam innectit Manricus anno prædicto 1125.

132. Ibidem num. 3, subdit aliud miraculum, et rationem assignat, quare ad dictum annum illud memoret. Quia autem id legi potest apud Guillelmum mox assignatum, satis est rei argumentum ex Manrico hic exhibere. Sic habet : « Impetierat veneficiis virum uxoria fraus..., et cujus adultera torum maculaverat, quia semel læserat, implacabili odio prosequabatur. Cruciabat hominem dæmon implacabiliter. Sed vir Dei maleficia per orationes, ac dæmonem presentia corporis Christi dicto citius exstinxit ac fugavit. Id quia sub famis tempus, atque adeo hoc anno, contigisse Guillelmus narrat, » tunc illud ex ipso recitare se significat idem historicus Cisterciensis. Duo autem prodigia famis occasione a viro sancto perpetrata differt ad annum proximum 1126. Sed nos modo narratis ea hic annectemus ex Joanne eremita apud Mabillonium col. 1287, num. 6. « Fames in partibus Burgundiæ exorta est adeo valida, ut homines membra propria pene consumerent. Eadem vero necessitate urgente, maxima multitudo pauperum ad portam Clarævallis devenit. Unde pro tanta multitudine sanctus abbas et fratres ejus inierunt consilium, et ex consulto duo millia acceperunt sub signaculo, quatenus et aliis eleemosyna daretur, sed minor. Non enim habebant substantiam, unde omnes sustentari possent usque ad messem : quam tamen pius Dominus sic multiplicavit, ut sufficeret eis post messem, trium scilicet mensium spatio. »

133. « Acceperunt itaque duo pueri signaculum, matre eorum non accipiente. Quæ penitus ignorans, quid faceret, cogitavit tandem quasi puerum panis involutum formare de musco, ut hac arte se ab imminenti famis periculo redimeret, quod et fecit. Accepit itaque aliquandiu hoc modo eleemosynam, donec dolus denique deprehensus est. Qua immunita, eum non sufficeret sibi quod accipiebat, postmodum tam famis angustia, quam morbo periclitans de medio facta est. Qua defuncta, sanctus abbas prætergradiens audivit pueros ejulantes pro morte matris suæ, et unumquemque ex itinerantibus causam planctus inquirere jussit. Pueri vero ordinem rei exposuerunt. Quo audito, Vir beatus locum subiens, in quo corpus jacebat, ad orationem se prostravit. Quo orante, mulier tanquam a somno expergefacta, cunctis videntibus et audientibus, qui præsentibus astabant, vitæ reddita est, gratias agens Deo et Sancto suo, cujus meritis et precibus ad vitam redierat, prænuntians etiam, quanta tormenta pro culpa sua sustinisset. » En tibi aliud miraculum, occasione et gratia egenorum factum, quod ibidem num. 7, sequitur : « Quadam die distribebatur pauperibus in latere montis eleemosyna, pluvia ingruente; ubi forte sanctus Dei assistens, manu elevata signum crucis opposuit. Quo facto, visa est pluvia a dextris et a sinistris inopinatum sui ipsius pati discidium, ita ut nec gutta quidem tangeret eos. »

134. Redeamus cum Manrico ad annum Christi 1125, tantisper a nobis intermissum : ubi cap. 3, num. 4 et 5, sermo est de infirma Sancti valetudine, visionibus, ac pristina sanitate obta per Virginis Deiparæ, ac SS. Laurentii et Benedicti visitationem, piissimumque attackum. Factum perhibet Guillelmus abbas lib. 1, cap. 6, num. 63, testis omni exceptione major. Prædictæ infirmitatis meminit sanctus Doctor in epistola 37, ad Theobaldum comitem Campaniæ (de qua re notas ad istam epistolam vide apud Mabillonium) quando his verbis ad illum scribit : « Quod de nostra infirmitate vos audivi fuisse sollicitum, non mediocriter gratum habeo. In hoc quippe dum vestram erga me agnosco dignationem, » etc. Epistola illa apud memoratum Mabillonium innectitur anno Christi 1128, unde consequens videtur, ut, si hæc temporis notatio subsistat, serius aliquanto differenda sit adversa, de qua dicebam, Viri beati valetudo, atque ad annum circiter 1127, removenda. Consuli tamen possunt, quæ conjectat Manricus loco citato, num. 8, de tempore istius infirmitatis.

135. Idem auctor ad annum 1126, progressus, cap. 3, num. 1, scribit de errore, quo credebatur, non longe abesse Antichristi adventum tunc temporis; opponente se eidem sancto abbate. « Sparsus, ait, interea rumor inter fideles de Antichristi adventu jam imminente creduli vulgi mentes occupabat; et, quod mireris, auctoribus non dubiis, neque vulgaribus; sed gravissimis sanctissimisque, et inter alios Norberto, rem quasi de cœlo acceptam asseverante. Verum oraculo cum Bernardo patre collato, discussoque temperavit sententiam. Unde et rumor disjectus Bernardi opera. » Huc spectant, quæ in epistola 56, ejusdem sancti Patris ad Gaufridum Carnotensem episcopum, referuntur : « Verum de Antichristo cum inquirerem, quid sentiret (Norbertus) durante adhuc ea, quæ nunc est, generatione revelandum illum esse, se certissime scire protestatus est. At cum eandem certitudinem unde haberet sciscitanti mihi exponere vellet; audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. » De rumore autem tunc temporis sparso super dicto Antichristi adventu hæc narrat Baronius ad annum 1106, num. 27, editionis anni 1629. « Quod pertinet ad Antichristum, fuit quidem opinio non vulgarium virorum, Antichristum hoc fore sæculo revelandum, et inter alios Norberti, viri temporis hujus fama celeberrimi; de quo ista S. Bernardus ad Gaufridum Carnotensem episcopum : » e quibus ea, quæ huc faciunt, modo dedimus. Et laudatus Baronius ibidem, « Hæc, inquit, sanctus Bernardus de oraculo : quod in illud relabi est usitatum, quod cum sæpe sancti viri prænovissent ingentes futuras persecutiones Ecclesiæ, putarint rerum magnitudine ipsa affore Antichristi tempora. »



136. Annalium Cisterciensium auctor num. 2, de S. Norberti oraculo, circa illam persecutionem pronuntiato ita statuit: « Licet autem Baronius non expresserit, quænam ingens Ecclesiæ persecutio innotuerit per revelationem S. Norberto, facile est conjectari eam fuisse, quam sub Innocentio II passa est a Petro Leone [imo Leonis] pertinacissimo antipapa, inceptam circa annum salutis 1130, adeoque quatuor ante S. Norberti obitum, et per decennium ferme continuatam. Sic et Bernardi Patris doctrinam solidam, et Norberti non falsam prophetiam, atque utrumque divinitus instructum ipsi etiam eventus comprobantur. » Nec vero defuisse, qui, capta ex hoc rumore ansa, Christi imo et Antichristi nomen affectarent, argumento sunt illa, quæ in medium producit idem Annalium Cisterciensium auctor n. 3, ubi etiam observat futurum fuisse ut pullulassent sine dubio plures, si non Bernardus firmius obstitisset, opponens se rumori, qui prævaluerat. » Sed quandoquidem in pervagatum illum juxta ac maxime noxium tunc temporis de propinquo Antichristi adventu sermonem incidimus, non videmur abs re facturi, si in eruditi ac curiosi lectoris gratiam subjiciamus hic sequentes observationes, propterea quod ad argumentum præsens sunt accommodata admodum, tametsi jam pridem typis vulgate.

137. In editione Operum S. Bernardi, accurate Mabillonio publici juris facta, volumine I, col. 13 et sequentibus exstant cum ejusdem eruditissimi Mabillonii, tum Horstii, de sancti operibus a se in lucem datis celeberrimi, notæ fusiores in dicta opera, columna vero 23, apud Mabillonium jam citatum occasione epistolæ sancti Doctoris quinquagesimæ sextæ, ad Gaufridum Carnotensem episcopum datæ, varia observantur prolixè quidem, sed erudite ex Horstio laudato: « Non Norberto solum, sed multis antiquiorum Patrum (ut de recentioribus taceam) persuasum subinde fuit, præ foribus Antichristum, et extremum mundi diem adesse; uti videre est apud Hieron. Leonem papam, Gregorium Magnum et ipsum S. August. Nempe ex temporum iniquitate, et signis mundi finem præcessuris, a Christo prædictis, quorum pleraque jam tum apparebant, id sibi haud vane colligere visi sunt. Et, ut rem paulo altius repetamus, jam inde ab Apostolorum temporibus varia semper fuerunt multorum de Antichristo et fine mundi judicia, conjecturæ, opiniones, vaticinia. Philosophi plerique et astronomi, complures etiam impostores, ludiones et nugivenduli; hæretici item fanatici quidam hic vates esse, et ultra cæteros mortalium sapere videri voluerunt: sed quorum vaticinia pleraque jam elusit eventus, et vates istos vanitatis et falsitatis convicit. Reliqua haud dubie, quæ futurum tempus etiamnum respiciunt, similiter sequens eludet ætas; ut pateat quam vere dictum sit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.* Item: *De die autem illa nemo scit.* Non erit injucundum lectori, si

ex plurimis paucorum exempla referamus. » Verum ne eorum narratio longius, quam par est, nos abducat a præsentis instituto, lectorem eo mittimus.

138. « Hæc (ita pergit Horstius col. 24) occasione memorati de Antichristo vaticinii commemorare visum est, non tamen in sugillationem Norberti, viri sanctissimi, quem alias *fistulam caelestem* Bernardus appellat. Nec enim solus ipse, sed et plures sanctorum Patrum finem mundi suo tempore haud procul abesse opinati aut ominati sunt; quorum catalogus ibidem contextitur. Sed advertite, longe diversa ratione viros sanctos de fine mundi locutos, quam quos supra meminimus (astronomos). Illi enim vel ex observatione siderum et planetarum (quæ fere in aliis prædictionibus, sed in hac maxime, nimis fallax est) vel ex quibusdam Scripturæ sententiis in falsum sensum detortis, vel sola mentiendi et fallendi libidine, vel studio popularis auræ et venerationis, hujusmodi commenta sparse runt. At sancti viri horrore scelerum et malorum, quæ passim toto orbe inundabant, vix ultra posse mundum consistere putabant, nec aliud superesse, quam ut propediem, mole criminum et iniquitatum impellente, fatisceret, ira scilicet Dei terminum orbi constitutum prævertente. » Hæc sit satis, ex Horstio circa Antichristi adventum delibasse: qui plura de eodem voluerit, ipsum consulat. Nos itaque, hæc digressionem relicta, interruptum tantisper de rebus S. Bernardi filum pertexere pergamus cum historico Cisterciensi.

139. « Sanctum Virum, ait num. 4 fama in dies celebrior, et poli et foris principum favoribus, favores populis passim exposuere, quæcunque optabant per eum consecuturis. Et qui hactenus Gallis tantum notus, Romanæ curiæ ex tunc jam innotescens, apud pontificem, apud cardinales opportunus mediator assumebatur, pro ecclesiis, pro personis intercessurus: res probatur e variis Sancti epistolis tanquam totidem testibus summæ ejus apud viros summos auctoritatis. Exstat ipsius epistola 13, ad Honorium papam, qua Alberici electionem ad episcopatum Catalaunensem ratam haberi petit. De isto autem Alberico consuli possunt notæ apud Mabillonium volumine primo col. 33, ubi dicta epistola affigitur anno Christi, in quo nunc versamur etiam nos, 1126, contra ac Baronius censuit: de quo sic scribit Manricus num. 6: « Cardinalis Baronius epistolam Bernardi, de qua supra, refert in annum millesimum centesimum vigesimum nonum, sicut et alias, quas statim adducemus; sed immerito; quippe hæc ex suppresso Bernardi nomine, imo ex ipso contextu prima ad Honorium scripta comprobatur; cui se tunc aut incognitum putabat, aut saltem notum non habebat, unde præsumeret. Et tamen exstant ante eum annum datæ litteræ ejusdem ad eundem, quas ipsemet Baronius prius transcripserat, et nos latius reddemus suis temporibus. » An vero vir sanctus voti sui pro Alberico in hac epistola expositi com-

pos fuerit factus, vide apud eumdem Manricum num. 5, qui n. 7 agit de alia ad laudatum Honorium data, quæ est decima quarta, ejusdem exemplari præmittens ista:

140. « Non multo post ecclesia Divionensis sancti Benigni, antiquitate et religione omnibus clara, sed Bernardo adhuc clarior clariorque, Aleidis matris (adde etiam patris, ex notatione apud Mabillonium in hanc epistolam) exuviis commendata, lite pendente cum monachis Lexovii, ejusdem sancti favorem imploravit. Eæ secunhæ litteræ ad Honorium, timido adhuc, nec satis currente calamo, sed jam ut noti exprimentes nomen auctoris. » Cæterum quo loco sanctus abbas fuerit habitus apud Romanæ curiæ cardinales, conficitur ex litteris, quæ eisdem scriptæ ab eo sunt, nimirum decima quinta, Haimerico apostolicæ sedis cancellario; decima sexta, charissimo domino suo Petro presbytero cardinali. Quibus addi possunt epist. 17, et sequentes. Quid plura? Dicta itaque hæc sint speciminis gratia, cum tam e viri litteris, quam aliunde satis superque constet, eum apud summos et imos longe æstimatissimum fuisse. Quam vero fortem ac intrepidum se ostenderit adversus potentes hujus sæculi, dum rei æquitas hoc postulabat, indicio sunt, quæ jam dicturi sumus.

§ XIV. *Acta pro Stephano, episcopo Parisiensi, contra Ludovicum Crassum; impletum de filii ejus morte vaticinium; sancti abbatis labores favoribus caelestibus recreati; an S. Felix Valesius ad illum ductus, an sub ipso educatus.*

Chronologus Cisterciensis ad annum Christi 1127, quem nunc illo ingredimur, cap. 1, memorat Stephani episcopi Parisiensis genus, potentiam ac mores; Bernardi ad eundem litteras, earumque fructum; violentam item infestationem a Ludovico Francorum rege eidem Stephano illatam; imploratum præterea Capituli Cisterciensis favorem, ac destinatos a Stephano legatos una cum litteris, quæ furens regis indignatio compesceretur. Deinde laudatus chronologus cap. 2, idem argumentum prosequens tractat de ejusdem Ludovici regis ira per Cistercii legatos, et interdicti, cui erat innodatus, metum coercita: sed interdicto per Honorium Papam sublato, mox laxatis frenis illa recruduit. Hæc obiter designasse visum est, quia viam sternunt ad ea quæ de Sancti adversus regem minis ac vaticinio narrabimus. Compendiosa autem illa, quam dedimus, synopsis pluribus apud dictum chronologum, cujus deducitur narratio, conferri potest cum observationibus Mabillonii, quæ in fusioribus notis habentur, ad epistolam, Ludovico regi (intellige Crasso) inscriptam, quæ inter Bernardinas ponitur quadragesima quinta. Inspici etiam possunt ea, quæ habet Pagius in Critica historico-chronologica ad annum Christi 1127, n. 13 et 14.

142. Inter hæc, quid magnanimus et intrepidus justitiæ propugnator Bernardus? Nihil prorsus, uti referunt Annales Cistercienses cap. 2, n. 3, omisere

sancti viri, quod non tentarent... « Quin et Bernardum addidisse severas minas, et caelestem vindictam, ni resipisceret, adfuturam in brevi, Paulus Æmilii in Ludovico, et alii prodidere. » *Episcopus (inquit) deprecantes a genibus suis repulit (scilicet Ludovicus) cui impenitentia Bernardus abbas iram caelestem vindicem instare, denuntiasset fertur.* » Ad di Gaguinus, non mediocri fidei auctor, eundem Sanctum expressisse supplicii genus, et primogeniti immaturam mortem furenti patri opportune prænuntiasse. « *Hæc inquit lib. vi Hist. Franc., tua, rex, pertinacia filii interitu mulcabitur.* » Porro prædictionis istius veritas stabilitur ex iis, quæ aliunde inserta sunt textui biographi Gaufridi lib. iv Vitæ, apud nos cap. 1, in fine, ubi hæc sunt: Quæ ex re (obstinata videlicet Ludovici regis repulsa) « Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera regem durius increpans, quod Domini sacerdotes sprevisset, libere quoque denunciavit, quod eadem sibi nocte fuerat revelatum. » *Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi regis morte mulcabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum, et protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludovici substitutione Ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogaturum.* » Quod quidem non longe post (anno nimirum Christi 1131) miserabilis casus implevit. Nam sicut ad annum modo dictum num. 12 ex Orderico, et pseudo Roberto de Monte refert Pagius, « Philippus puer, nuper in regem unctus, dum in civitate Parisiis equo vehitur, porcus equi pedibus se forte submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, et de ejus subita et miseranda morte Francis luctum induxit tertio Idus Octobris. »

143. An vero tam seria et luctuosa Bernardi denuntiatione ad veram resipiscentiam permotus Ludovicus rex? Nequaquam, forte non reputans vindicandum a Deo crimen, quod summus pontifex inultum reliquisset. Factum sic breviter in notis, quas paulo ante citabam, col. 21, exponit Mabillonius, de Sancti vaticinio, ac eventu ejusdem locutus. « Tanta dicendi libertate a proposito princeps, aliquanto dimotus, ad Honorii papæ litteras quibus interdictum solvebatur, animum refricans, male cepta ardentius prosecutus est. Quod Bernardus impatienter ferens, tam suo quam Gaufridi Carnotensis nomine litteras ad Honorium justæ querimoniæ plenas dedit (Vide Bernardi epistolas 46 et 47.) Tandem vero, sicut pergit col. 22, tam pertinax, tamque conceitata dissensio finem accepisse videtur in concilio Trecensi, anno 1128, vel certe non multo post ipsius, Honorii auctoritate: qua de re Bernardus gratias retulit, ad eum denuo scribens, epist. 49. » *Hinc enim, inquit, gravibus contumeliis et injuriis episcopi Parisiensis constantia pulsata est, sed non quassata: quia Dominus supposituit manum suam, cum vestram opposuit.* » Ad Stephanum vero illum quod attinet, Mabillonius de eo subdit sequentia: Porro



hunc Stephanum Parisiensem, antea cancellarium, distinctum esse a Stephano de Garlanda dapifero, de quo in Annalibus Teulfi, deserte probat Chesnius in notis ad Abælardum; nec obscure intelligitur ex epistola quadam Gaufridi Carnotensis, tom. III. Spicilegii (Acheriani) pag. 166, in qua scribit sanctum Bernardum fuisse electum ad pacem cum Stephano Parisiensi et Stephano de Garlanda componendam. Quod ulterius ad Ludovicum spectat, quem S. Bernardus ad Honorium scribens epistola 49, alterum Herodem appellat (quæ phrasim mitigatur apud Mabillonium in nota breviori ad istam epistolam col. 57.) memoria certe dignum est, quanta religione et penitentia diem clausurit extremum anno scilicet 1137 » prout in observationibus ad epistolam 45, inter notas fusiores citatas licet pluribus videre col. 22.

144. Verum quo pacto magnas illas molestias, a S. Bernardo masculo prorsus et invicto pectore exantlatas consolatio cœlestis exceperit, quid memorem? Audiantur Annales Cistercienses cap. 3, n. 1. « Ergo Bernardus Clarævalli et filiis redditus, atque opata quiete, quo tardius rariusque, eo impensiori affectu fruens, nec ultra amplius, si posset, deserenda, duplicem ejus, inter plures alios fructum expertus est, duplici a Deo visione confortatus, utraque angelica, atque utraque monasticum stemma, chorum et cantum eximie commendante. In altera cœlestibus spiritibus transcribentibus psallentium in choro preces, haud dubium quin præsentandas divino numini: in altera ad easdem excitantibus, et satagentibus psallentium devotioni: utramque ad monachorum omnium gloriam solatiumque, imo et cunctorum Ecclesiasticorum. » Facta audi ex auctore Exordii magni Cisterciensis apud Tissierum distinctione 2, cap. 3. « Interebat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus ea puritate et devotione, qua solebat, Deo tantum nota et sibi. Cumque morosa psalmodiæ modulatio vigilias protelaret, aperuit Dominus oculos ejus (videlicet Patris sancti) et ecce respiciens vidit singulos angelos juxta singulos monachos stantes, et, quod quisque eorum psallebat, in schedulis, more notariorum, tam diligenter excipiebant, ut nec minimam syllabam, quantumcunque negligenter prolatam omitterent.

145. « Scribebant vero diverso modo: nam quidam eorum scribebant auro; alii argento; nonnulli atramento; aliqui etiam aqua; quidam vero penitus nil scribebant. Spiritus autem, qui hæc revelabat, intelligentiam quoque diversitatis scripturæ cordi ejus inspirabat. Qui enim auro scribebant, ferventissimum in Domini servitio studium, et absolutam cordis intentionem in iis quæ psallebantur, significabant. Qui autem argento, minorem quidem fervorem, puram tamen psallentium devotionem declarabant. Qui vero atramento, continuum quorundam bonæ voluntatis usum in psalmodia, licet non cum multa devotione notabant. Sed qui aqua scribebant, expri-

mebant eos qui somnolentia seu pigritia pressi, vel vanis cogitationibus abducti, videntur quid aliquid sonare, sed cor eorum longius abstractum prorsus non concordat voci. Et, o mira Dei clementia! Sicut enim nullum malum impunitum, ita nullum bonum, quantumcunque modicum, quantumcunque negligenter factum, erit irremuneratum.

146. « Cæterum illi, qui nihil scribebant, lamentabilem quorundam cordis duritiam redarguebant, qui obliiti professionis suæ, et timoris Dei immemores, aut lethali somno pronase voluntate immergunt, aut certe vigilantes, clauso ore, vanis et noxiis cogitationibus, non ex infirmitate, sed ex voluntaria intentione occupantur, et in conspectu Domini contra legis præceptum apparere vacui non pertimescunt. Pater itaque sanctus, qui hæc videbat, recordatus sententiæ illius, Quoniam omnes administratorii spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis; sicut proficientium congratulabatur fervori, sic paterno pietatis affectu, deficientium miserabatur tepiditatem. Ibidem cap. 4, ponitur alia beati visio his verbis conscripta: Celebrabantur aliquando solemnnes vigiliæ, et Vir Domini cum cæteris fratribus aderat: cumque hymnus Te Deum laudamus cantaretur, vidit sanctos angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate devotos: qui utrumque chorum percurrentes, modo hunc, modo illum excitabant, cantantibus aderant, et quasi congratulantes astabant, et ut divinus ille hymnus cum devotione percantaretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit ergo Vir sanctus, hymnum illum vere esse divinum, et angelis sanctis esse familiarem, quos tanta instantia videbat operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur. » Deinde occasione istius hymni sequuntur ista:

147. « Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumperebat, et sursum conscendebat. » Manricus cap. 3, num. 4, ad præsens argumentum, « Duo, ait, invenio notata a Fiteriensi, quæ sibi lector facile persuadeat. Alterum est, angelorum excitationem non materialem a somno intelligendam; sed spiritualem ad mentis devotionem, ut, si qui tepidi, in fervidos evaderent fervidi, ferventiores efficerentur. Alterum, incipientem hymnum Te Deum laudamus, de cujus ore flamma ignea erumpens, et sursum volans, a fratre illo devoto visa dicitur, non alium fuisse quam Bernardum Patrem, cui ex injuncto munere abbatis eundem hymnum incipere incumbebat. Quod ab initio Cistercii usu receptum, hodie etiam videmus observari. » Idem historicus num. 10, refert factum aliquod peculiare de S. Bernardo, quod, sicut ipse recitat ex alio auctore, sic ego illud huc transcribo:

148. « In Historia, inquit, Segoviæ nuper edita de exordio et progressu sanctissimæ familiæ, quam sub invocatione sacræ Triados fidelibus captivis redi-

mendis Deus providit, notatum lego, unum e primis illius institutoribus Hugonem Valesium (Theobaldi comitis nepotem ex sorore) qui post Felix Valesius dictus est, atque unâ cum beato Joanne, dicto de Matha, insignis operis fundamenta felicia jecit; lego, inquam, hunc sanctum hoc anno natum, et post baptismum, deferente matre, ad Claramvallem ductum, offerendum ibidem per Bernardum omnipotenti Deo, et sancti Patris accepturum benedictionem: quod ab auctore illius Historiæ, lib. 1, cap. 5, traditum omittente non libuit: quamvis nec adhuc sciam, unde hauserit, nec sim ignarus in his quæ alias miscet, a veritate nonnihil aberrare. Certe in tempore nulla est repugnantia et Hugoni aut Felici, si revera Theobaldi nepos fuit, non ullus alius Bernardo parente prior, quem apud Deum ab ipsis incunabilis intercessorem quæret. Sed et Bernardo non exigua gloria est, tantum habuisse alumnum sive clientem, illustraturum orbem atque illud sæculum miraculis et meritis, sequentia vero repleturum gloriosa prole. »

149. Hanc rem, uti vides, qua hunc sanctum a Sancto nostro ad Claramvallem Deo oblatum spectat, subtimide Manricus ex alio refert, et non immerito. Quid enim? Origo et educatio S. Felicis Valesii non videntur hactenus satis comperita: scriptor rei gestæ, quam retulimus, nimis est recens, nec auctoritatis sat probatæ, quam ut se solo fidem facere possit, cujus ne nomen quidem exprimit Manricus; nec profert monumenta antiqua, quibus factum præsens confirmetur. Quamobrem liceat nobis desiderare probationem melioris notæ, antequam eidem assentiamur. Ne tamen præpropere nimium, re utpote nondum satis matura, quidquam statuamus, eam remittimus ad diem 20 Novembris, quo agendum erit de S. Felice Valesio, pluscula tunc fortasse suborbitura luce nostris successoribus ad improbandum vel confirmandum præsens factum. Idem esto dictum ad illa, quæ habentur in Vita ejusdem sancti, auctore R. P. M. Fr. Francisco a S. Augustino Macedo, Minorita Lusitano, Romæ latino sermone edita anno 1660, in qua cap. 2, floridulis quidem verbis, sed nullo citato auctore, argumentum præsens in hæc verba describitur. « Nato Felici Eleonora Iac præbuit: sed melle illud condire studuit. Igitur Claramvallem adiit, et Bernardum quæsivit, quem cœlestem favum sciebat. Hic verbis infanti mel instillavit, nec abstinuit amplexu, quod credit Bernardus in lilia et rosas incidisse. Obtulit ante aram Deo floridum pignus tanquam fasciculum. Apem Bernardum credidit, qui vidit puerum in ulnas gestantem. »

150. Sunt, qui plus dicant, prout intelligo e neoterico auctore, qui Vitas sanctorum vulgavit, Gallice tribus tomis. Nam ad diem 20 Novembris, in Vita S. Felicis Valesii, nonnullos esse affirmat, qui velint, eum sacræ instructionis gratia sub disciplina S. Bernardi, petiisse Claramvallem: verum sicut historia superior de S. Felice, quem mater ejus ad

PATROL. CLXXXV.

Bernardum detulerit infantem, quemque is obtulerit Deo, parum hactenus mihi videtur credibilis; sic multo minus credibilis mihi apparet ea, quæ vult, eundem S. Felicem sub Abbatis nostri disciplina vitæ religiosæ institutis imbutum fuisse; quandiu hoc non video idoneis testimoniis corroborari.

§ XV. Opusculum de gratia et libero arbitrio; concessus et auctoritas in synodo Trecenti; Regula Militum Templi an a Sancto condita.

151. Confectio hujus opusculi, quo de Ecclesia catholica universa sanctus doctor immortalis titulo meritus est, innodatur anno prædicto Christi 1127, ab auctore Annalium Cisterciensium, apud quem ibidem cap. 4, nonnulla circa illud observantur. Habetur apud Mabillonium volumine primo, col. 603, et sequentibus, et hac prævia admonitione ibidem pagina 601, illustratur: « Hoc opusculum Bernardus ante annum 1128 composuit: id est ante annum ætatis suæ tricesimum octavum. Agit de gratia et libero arbitrio, ex occasione cujusdam collationis cum homine nescio quo, cui sanctus Doctor nimium gratiæ tribuisse visus fuerat, quasi nihil reliqui libero arbitrio faceret in actibus humanis. Præcipuus ergo libri scopus est, quæ sint gratiæ, quæ liberi arbitrii partes in negotio salutis. Huc multa docentur de libero arbitrio Dei, angeli et hominis, integri, lapsi, et beati: item de gratia primi hominis ante et post lapsum. Parvus liber, sed qui plus succi et solidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum volumina, quæ de hoc theologico pertractant. Stylus vegetus, vivaci ingenio et lumine plenus; verba propria et materiæ accommodata; oratio facilis, non arte quæsita, sed quasi naturalis; non obesa et exilis, sed pinguis et nervosa: elegans concinna et jucunda; non trivialibus scholæ verbis languens, non barbara aut inculta. Non ita pressa, ut parce et guttatim fluat, nec tamen ita profusa, ut torrentis instar, quasi rupto aggere, et siccato alveo, erumpat: sed pari tenore et gravi majestate æqualiter profluens, fontem indicat indeficientem, qui non ex alieno plenus sit, sed ex proprio, imo ex Dei dono, atque ex continua Scripturæ meditatione, præsertim Apostoli, num. 48.

152. « De isto opusculo Gaufridus, in libro tertio de Vita Bernardi, capite 8, agit: Quam non ingratus, inquit, gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de gratia et libero arbitrio tam fideliter quam subtiliter disputavit. Nec prætermittenda verba epistolæ 52 ad Americum cardinalem, quæ sub annum 1128 scripta est. Quæsivit a me præfatus episcopus (Gaufridus Carnotensis) aliqua ex nostris opusculis, quæ vobis mitteret: sed non fuit ad manum, quod vestro dignum crederem studio. Libellum tamen de gratia et libero arbitrio nuper edidi: illum vobis libenter mitto, cum vos velle cognovero. » Directus est libellus Guillelmo, Sancti-Theodorici abbati, singulari Bernardi amico, ad quem Apologia superius (col. 525, et seqq.) edita, et epistolæ complures. » Sic de laudatissimo hoc sancti doctoris opusculo lectorem præmonet